





*1536*

DISSE<sup>T</sup>ERTATIO

INAUGURALIS JURIDICA,

D E

*1774*

*2*

DIFFERENTIIS

INTER

JUS CANONICUM, ET CIVILE  
ROMANUM CIRCA ARBITROS

PRÆCIPUE

TERTII ELECTIONEM OBTINENTIBUS,



---

VIE NNAE,

TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,  
SAC. CAES. REG. AUL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

*1774.*

DIGESTA

MANEGETALIS JURIDICAE.

DIGESTA

ET CIVILE

IUS CANDICUM ET CIVILE  
ROMANORVM ET ROMANORVM


TESTIMONIUM ORTENSIO



ALERE MARE

1723 IOANNES HOMMUS TESTIMONIUM ORTENSIO  
AC CAVALLERIA AUREA

1723



## DISSERTATIO JURIDICA

DE

DIFFERENTIIS INTER JUS  
CANONICUM, ET CIVILE ROMA-  
NUM CIRCA ARBITROS,

PRÆCIPUE

TERTII ELECTIONEM  
OBTINENTIBUS.

### §. I.

**E**x multis controversias, etiam gravissimas, decidendi modis, nec præstantior ullus est, nec statui naturali convenientior, quam quo uni, pluribusve personis, prudentiae, integratisque laude conspiciuis ab ipsis litigantibus dissidiorum committitur compositio. Quum enim in hoc libertatis statu omnes, ac singuli æquilibus juribus gaudeant, nullumque supe-

A 2 r. 4. r. 10.



riorem ac judicem agnoscant, (a) nec  
fors semper, ac amicabilis compositio liti  
finem imponere soleat: Lites vix ad op-  
tatum pervenient exitum, nisi mutuo con-  
senso constituentur judices dirimendis iis,  
quaे in controversiam perducuntur. Hunc  
finiendarum litium modum ipsarum gen-  
tium usus probat, ceu exemplorum ad-  
paratu **HUGO GROTIUS** (b) exponit.

(a) Illustriss. de MARTINI de lege nat. Dissert.  
IV.

(b) De J. B. & P. Lib. 2. cap. 23. §. 8.

## §. II.

Equidem constitutis civitatibus cessare  
modus iste posset: civile enim imperium ju-  
dicariam quoque potestatem complectitur,  
quaे jus est causas subjectorum controver-  
sas cognoscendi sententias, quibus eæ deci-  
duntur, ferendi, atque execundi, id est, par-  
tem vietam, ni sponte solvat, adigendi,  
ut prester illud, in quod fuit condemnata  
(a). Nihilominus arbitros adeundi facul-  
tatem litis finienda, & judicij evitandi  
gratia moratores gentes indulserunt illis,  
quos forte terrent graviores litium sumptus,  
judiciorum strepitus, multique labores,  
ac denique onerosa, atque tædiosa incerti-  
juris, exspectatio (b).

(a) Illustriss. de MARTINI Posit. de Jur. Civ.  
cap. 4. §. 129.

(b)



(b) VORTIUS in comment. ad Pandect. lib. 4,  
tit. 8. §. 1.

### §. III.

Est autem arbiter ab arbitrando dictus  
(a) qui compromisso partium electus est,  
ut litem dirimat, diverius ab arbitratoribus,  
nomine quidem in jure nostro ignotis, re  
ipsa tamen notis (b); quippe qui absque  
ulla judicij forma ex aequo, & bono litis  
componere suo consilio, suaque autoritate  
allaborant, vel conventiones aliaque ad  
bonum finem perducunt, in contractibus,  
dotibus, aliisque, in quibus boni viri ar-  
bitrio opus erat, intervenientes, ut pretia  
rerum, mercedes usus, & operarum, lu-  
cri, damnique partes inter socios, dotum  
dandarum quantitatem, & similia defini-  
nant: sic ut an arbiter quis, an magis  
arbitrator ex negotii suscepit natura, at-  
que ipsa constitutionis formula dijudican-  
dum fit. (c)

(a) FESTUS POMPEJUS voce arbiter, sicut scilicet magistratus in L. 57. de V. S. juxta Fornerii lectionem a magistrando derivatur, ut videre est in GONZALEZIO ad cap. 4. de arbitrii num. 7. comment. perpet. ad Decretales.

(b) VORTIUS loco supra citato §. 2.

(c) ANDR. GAYL lib. 1. obs. 125. §. 4. 5. 6.

A 3

§. IV.



## §. IV.

Præter hos, qui sola partium voluntate, facto compromisso, eligebantur, *compromissarios arbitros*, Prætor Romanus *legales* etiam constituit, cauſas bona fidei, & arbitrarias judicaturos, in sensu speciali, & a priori diverso arbitri ideo nuncupati, quod in litibus decidendis, quod bonum, æquumque effet, arbitrarentur (a). Hos etiam arbitros juris adpellari consuevit; quorum quæ fuerit conditio, ex diverlo judices pedaneos constituendi modo varioque formularum tenore, quibus illorum potestatem modo amplioribus arctioribus modo terminis concludebat Prætor, intelligi potest (b).

(a) HEINECCIUS antiquit. Rom. Lib. 4. tit. 6.  
§. 36.

(b) Idem GONZALEZ comment. perpet. ad Decret. tit. 43. ad cap. 1. num. 8.

## §. V.

Cave tamen, ne confundas legales hosce arbitros cum illis, quos ad mentem canonum *necessarios* adpellamus. Evidem ii ex præscripto legis ad certam cauſam eliguntur, quo ex genere sunt, qui ad cauſam suspicionis judici delegato motæ intra legitimum tempus probandam constituuntur (a): quique aliquando, quum



quum de revocandis Papæ litteris contenditur, adsumi jubentur (*b*). At enim quoniam hos non Prætor, sed Lex, non sub certa formula, sed generatim, non ad caussam bonæ fidei, aut arbitrariam, sed ad specialia negotia constituit, procul abest vero, quisquis juris arbitros, quos ordo judicarius romano-civilis exposcebat, cum necessariis jure canonico cognitis commiscere non dubitat. Verum de hisce arbitris tam juris quam necessariis hic mihi sermo non est, sed de iis, qui compromisso a partibus eliguntur. Neque animus mihi sedet, integrum quamdam de arbitris commentationem edere, in id unice intendo, ut differentias inter jus canonicum, & civile Romanum circa arbitros obtinentes patefaciam, de quibus varium Doctorum dissensum animadvertis.

(*a*) Cap. 39, X. de offic. & potest. jud. deleg. cap. 4. eodem in 6to.

(*b*) Cap. 14, X. de Rescript.

### §. VI.

Arbitri *compromissarii a compromisso* dicuntur, quod est conventio, qua partes arbitrorum sententia se statuturos esse sibi invicem pollicentur. Hæc itaque partes tantummodo adstringit. Quæ vero litigatu-

A 4

gatu-



gaturos inter, & arbitros initur convenio, qua hi item dirimendam in se suscipiunt, jure Romano *Receptum* vocatur (a). Utraque conventio, ut arbitrium effectum consequatur, necessaria est. Nec enim in partis unius potestate situm est, neglecto judice ordinario causa controversae decisionem alteri, judicaria potestate destituto, committere, ipsi autem electo arbitro integrum manet, velutne recipere arbitrium, an non; quoniam *hæc res libera & soluta est, & extra necessitatem jurisdictionis posita* (b).

(a) Vid. leg. 3. 35. 4. ff. de recept. qui arbitr. recep.

(b) *ULPIANUS ex LABEONE* refer L. 3. §. 1. ff. eodem.

### §. VII.

Arbitrorum constitutio ad compromittentium voluntatem reddit. Quapropter omnes, qui causam controversam sibi commissam cognoscere & definire nec natura impediuntur, nec legibus speciatim prohibentur, recte eliguntur arbitri. Mulieribus arbitria recipere jus civile interdixit, & hoc officium, utut privatum virile esse iussit. Quum enim arbitria jure Romano ad similitudinem judiciorum sint redacta (a), sicut judicare prohibentur.

Mu-



Mulieres (*b*) ita & arbitrari easdem non  
permisit sua pudicitia, cujus memores a  
civilibus officiis abstinere debent (*c*).

(*a*) Leg. I. ff. de Recep. qui arb. recep.

(*b*) Leg. 12. §. penultimo ff. de judicis.

(*c*) Leg. final. Cod. de arbit. ante hanc constitutio-  
nem *Cujacrus* 13. observ. 22. putat mulieribus  
integram famam id licuisse, observari hic obiter po-  
test pulchra legis hujus emendatio, quam suppe-  
ditat collatio cap. 4. X. de arbitr. legendum nem-  
pe esse videtur judiciali *examine*, non autem ju-  
diciali *agmine*. Examen judiciale eleganter dici-  
tur, quia ibi cujusque partis jura veluti in  
examine librae ponderantur, sed agmen judi-  
ciale nihil, & ineptum est verbum. *RITTERS-*  
*HUSIUS* & de different. jur. civ. & canon. Lib. 5.  
cap. 10.

### §. VIII.

Enimvero, quum consuetudo in non-  
nullis provinciis adprobata, quam pro-  
lege servandam esse nec dupondii igno-  
rant, foeminis quoque praecellentibus se-  
pe tribuat jurisdictionem ordinariam in  
suos subditos (*a*), Oedipo haud opus esse  
existimo, ad penetrandam rationem, qua  
motus Pontifex a juris romani dispositio-  
ne paulisper recedens in mulierem com-  
promitti, eamque arbitram esse posse, re-  
scrispsit (*b*).

(*a*) Quod supponit *JACOBUS A VITRIACO* Lib. II.  
hist. occident. cap. 8. dum referente *GONZA-*  
*LEZIO* ad cap. 4. X. de arb. ait: quedam autem  
nobilis mulier in villa, quam habebat, frequen-  
ter

A 5



ter admonuit presbyterum, ut suam relinquat concubinam, quo renuente, ac respondente, quid ad vos de sacerdotibus? Ipsa respondit: contra vos nullam possum exercere iustitiam, verum tamen omnes hujus villæ, qui non sunt Clerici, spectant ad meam jurisdictionem. Jubens autem sacerdotis ad se adduci concubinam fecit ei fieri amplam coronam, dicens: quia non vis relinquere sacerdotem, volo te ordinare in sacerdotissam.

(b) Cap. 4. X. de Arbitr. litigabat nempe monasterium de scartuna cum fratribus Hospitalariis super usufructu cuiusdam vicini memoris, quibus placuit compromissum facere in AGNETEM GALLIÆ TUNC REGINAM: illa vocatis vicinis Episcopis, quorum consilio item dirimeret, pro Monachis contra Hospitalarios sententiam protulit: quam non solum suo, verum & Episcoporum Sigillis munitam utrique parti fecit intimari. Sed Hospitalarii arbitrio non parentes, AGNETEM rationes sexus jurisdictionis incapacem esse multis argumentis contendebant, quippe a solo jam exturbatam non venientes, quam paulo ante, Philippo Rege absente regnante formidaverant. Tunc vero res delata est ad Innocentium III. P. qui auditis utriusque partis allegationibus pro Reginis arbitrio sententiam tulit. MANRIQUE tom. 2. annal. cystercien. cap. 5. ad annum 1203.

### §. IX.

Quamquam autem INNOCENTIO III. necessum minime fuerit ad Galliæ consuetudinem provocare, quum compromissum factum fuerit in Reginam rerum summa absente PHILIPPO, potitam, cui itaque ratione dignitatis ordinaria compete-



petebat jurisdictio: attamen vel ab ipsis  
juris romani principiis non penitus ab-  
horret, ejus rescriptum, quo foemina secundum  
adprobatam consuetudinem  
jurisdictione ordinaria praeditam arbitri  
munere defungi posse declarat, quam  
nec Romani exclusuri fuissent, si mulie-  
ris pudorem (a) judicario muneri minus  
aptum non reputassent. Utique non de-  
bet, cui, quod plus est, licet, quod mi-  
nus est, non licere. Hinc patet etiam  
ratio, quare jus canonicum hac in re  
sequitur Germania, qua foeminas non pau-  
cas, jurisdictione territoriali, aut patri-  
moniali (b) instructas numerat (c) qui-  
bus tamen tacitam simul substituendi fa-  
cultatem concessam esse, quilibet facile  
intelligit, quum jurium ignaræ esse ac pro-  
in non ipsæ sed per alios cognitionem  
fuscipere soleant.

(a) Non capienda sunt legis final. Cod. de arbitr.  
verbis: memores operam que iis natura permisit, nam  
verbum illud natura non legem naturalem, sed  
naturalem quamdam foeminarum qualitatem de-  
notat, que eas viris quidem minus idoneas, non  
tamen judicii absolute incapaces reddit.

(b) Ad ceteras foeminas optimæ licet extimatio-  
nis omni profus jurisdictione deslituras rescri-  
ptum suum pertinere nec Pontifex voluit.

(c) HENNINGIUS BOEHMERUS Jur. Eccles. Pro-  
test. tom. I. Lib. I. tit. 43. pag. 957.

## §. X.



## §. X.

An in judicem ordinarium compromitti possit, varia est doctorum opinio. RITTERSHUSIUS (*a*) primam de arbitris differentiam inter jus Canonicum, & Civile hanc ponit, quod jure canonico ordinarius judex possit sumi arbiter ejus rei, cuius est judex, quum jure civili id non sit permisum. ANTONIUS FABER (*b*) quem sequitur P. ENGEL (*c*) in judicem ordinarium tanquam *arbitratorum* non vero arbitrum compromitti posse adstruit: quod posterius etiam de jure canonico obtinere arbitratur. Sed manifestum est cap. 5. X. de arbitr. ubi Archiepiscopus Magdeburgensis arbitrium protulisse dicitur inter Episcopum Merseburgensem, & quemdam Abbatem, quum tamen Archiepiscopus ordinarius inter eos judex fuisse noscatur. Hocque arbitrium confirmat INNOCENT. III. paucis articulis exceptis (*d*) ut adeo a vero aberret, qui memoratum capitulum de arbitratore capiendum existimaverit.

(*a*) Loc. Sup. cit.

(*b*) Cod. Lib. 2. tit. 38. def. 2.

(*c*) Ad tit. de arbitr. n. 6.

(*d*) Conf.



(d) Conf. FAGNANUS in comment. ad decret. cap. 10. de arbitr.

### §. XI.

Sed neque RITTERSHUSII subsistit opinio; profecto, si verum amamus, omnis hac in re discessus juris canonici a civili prætenitus est, & ex male intellecta lege 9. §. 2. ff. de Recept. qui arbit. recept. profectus. Lego equidem ibi vetari, quem ejus rei, de qua judec est, arbitrium fuscipere. At enim quemadmodum jure romano penes Magistratus ordinarios arbitri reception, sententiæque prolation non quidem necessitatis, sed liberæ voluntatis erat (a); ita legem propositam intelligendam esse, vel de Magistratu, qui partes coagit in se compromittere, ut patet ex verbis: *inve se compromittere probibetur*, vel de judece pedaneo, cuius potestas ad certam notionis formulam adstricta non patiebatur arbitrium fuscipere, jam alii videunt (b).

(a) Leg 13. in fine, & L. 4. ff. de recept.

(b) CUJACIUS ad dictam legem 9. §. 2. cf. GONZALEZ ad cap. 10. h. t. exemplum quoque compromissi in judicem ordinarium reperitur in Jure Publico. I. R. G. in Recessu Imperii Ratisbonensi de anno 1594. f. 65. quo permititur



titur compromissum in Cameram Imperii sub  
certis limitationibus.

### §. XII.

Fundata magis est diversitas circa Juramenti Religionem, qua compromissum firmari solet. Etenim, lex civilis nova, (a) sanctissimum hoc arbitrium olim licitum (b) & frequentissimum improbat (c) at enim cum canones hoc Religionis vinculum passim (d) omnibus negotiis firmandis adhiberi permittant, tenemus rationem, quare illud a compromissis excludendum non censuerint (e).

(a) Novell. 82. cap. II. §. I. authent. decernit cod. de arbitr.

(b) Leg. 4. Cod. de Arbitr.

(c) Non desunt interpres, qui docent prædictam Justiniani novellam constitutionem de arbitris tantum, & non de litigibus loqui, uti monet ZYPÆUS de jure novo tit. de arbitr.

(d) Sed notandum quoque est, ait ESPINUS P. III. tit. 5. cap. 4. §. 18., tribunalia Ecclesiastica multis abusibus XII. & XIII. seculis jam fusile referita, atque inter alios invalidisse in illis contra veterem Ecclesiæ disciplinam juramenta quam rem plurimi deplorarunt, optaruntque, ut a iudiciis ecclesiasticis, hæc frequenta juramentorum exulareret, & non nisi ex gravissimis causis juramentum admitteretur; ut sic & periculum pejerandi, & adsumendi nomen Dar in vanum cœssaret.

(e) Cap.



(e) Cap. 2. & 9. X. h. t. juri canonico suffragatur  
praxis Germaniae testanribus BERGER econom.  
injuris pag. 924. n. i. & SAMUEL STRYCK U. M.  
fls. §. 3. h. t.

Acutius autem vident, qui compromiso nudo pacto interveniente inito eam vim de jure canonico inesse statuunt, ut sententia desuper lata (a) nec consensu partium expresso, vel tacito per descendui silentium adprobata, seu homologata actionem producat (b) Rechte enim celeber. de RIEGGER (c) nec jure quidem canonico pactum nudum obligationem civilem seu actionem in foro producere adfirmat. (d) Quæ enim ex nudis pactis conceditur in foris nostris conditio, ex moribus Germanorum profluit, quorum propria laus fuit, datam Iemel fidem rebus omnibus antihabere juxta testimonium TACITI (e) nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse.

(a) Arbitri sententia laudum a Glossatoribus vocatur, vocabulo legibus, & optimæ latinitatis autoribus plane incognito a Gothicis Laff, vel Lav hoc est, lege, Doom judicio, seu sententia decidunt. Alii a verbo laudare, quod idem in iure ac adprobare significat.

(b) HENNING. BOERM. in notis ad ARNOLDI CORVINI aphorismos jur. canon. lib. 3. tit. 7. n. 16.22.

(c) Institut. Jurisprudent. Eccles. parte 2. §. 687.

(d) cf. P. PLACIDUS BOECKN ad tit. de pactis.

(e) XIII. annal. 51.

#### §. XIV.



## §. XIV.

Quoniam arbitrorum constitutio a partium voluntate dependet, consequens est ut, prout ipsis libuerit vel unum, vel plures eligere queant, nihilque prohibet, quominus plures vel *definite* cum clausula *solidum & alternativa*, aut *conditionali*, non omnes, vel *indefinitae* constituant: quo casu posteriori jus canonicum a civili insigniter discrepat. Evidem ALEXANDER III. P. in cap. 16. & postea INNOCENTIUS III. P. in cap. 22. X. de offic. & protest. judicis delegati rescriperant, cetero, quo pluribus *indefinitae* causa delegata est, eandem singulis, & omnibus *conjunctim* ita commissam censeri, ut alter delegatorum sine altero procedere nequeat: BONIFACIUS tamen VIII. P. cap. 2. de arbitriis in 6to, ut quæstionibus finis celerius imponatur, statuit, ut si ex tribus arbitris electis eorum aliquis ab aliis legitime requisitus ad examinandum, vel definitendum una cum reliquis negotium non curaverit, convenire duo praesentes, penes quos totalem eo casu remanere decernit potestatem, possint, *malitia seu voluntaria illius absentia non obstante*, dictum examinare negotium, & libere definire, sicut possent illo praesente, nec volente cum eis



eis in unam sententiam concordare, ut  
sic ipsius absentia præsentia repleta Divi-  
na eum putari faciat pro præfente.

§. XV.

Aliter ratiocinati fuerant CELSUS &  
POMPONIUS in L. 17. §. ult. & 18. ff. h. t.  
quibus placuit arbitrium, si in tres com-  
promissum fuerit, tertio absente prolatum,  
etsi duo consensissent, non valere. At-  
que hanc ego præ Pontificis sententia con-  
venire arbitror compromissi formæ, quæ  
servari non videtur, si duo ex tribus sim-  
pliciter datis procedere sustineant, hac  
enim, ut conjunctim omnes procedant,  
non alia forma compromissum a partibus  
conclusum censetur, potius etque tertius  
ille absens, si adfuisset, reliquos forsan  
trahere in suam sententiam. Non ignoro,  
remedia litium finiendarum in rectæ ratio-  
nis dictamine præsidium habere. Cur ergo  
Pontifex suam constitutionem ad judi-  
ces delegatos pertinere noluit, quorum  
potestas unice a nutu delegantis dependet,  
dum contra arbitria compromittentium  
voluntati subjacent? quidni facilius ab-  
sentia delegati, quam arbitri suppleatur?  
nam, quod dici solet, contumaciam pro  
præsentia haberri, id verum est, quum  
agitur de præjudicio contumacis, non al-

B terius,



terius, cui contumaciam alienam, ut  
propria specie, nocere non oportet.

(*c*) VAN ESPEN loc. cit. §. 14. ubi SIMONER  
GRÆNWEGEN de legibus abrogatis citat, q  
ad L. 18. ff. h. t. jus can. in praxi utriusque lo  
ri triumphare tuerit: alius tamen in hac mate  
ria adiaphora jus canonicum in foro Ecclesiastico  
co jus civile in foro civili obtinere contendet  
tibus. Illud omnino expeditum esse adaptetur  
decisioni juris canonici non dari locum, si  
plures compromissum sit, expressa conditione  
ut simul omnes in cognoscendo, & judicandis  
interfiant.

### §. XVI.

Plures arbitros compromissarios par  
tium voluntate adsumi posse §. 14. dixi  
idque adeo verum est, ut plures, vel nu  
mero *impari* vel *pari*, quorum sententia  
tota causa committatur, eligi queant; at  
que hoc de jure civili romano procul el  
dubio. *Ustatum est*, ait ULPIANUS  
in duos compromitti (*a*). Neque enim legi  
12. tabularum, quum de jure posselli  
num (*b*) & aquarum (*c*) aliquis causa  
(*d*) contendentibus tres arbitros addi  
voluerunt, arbitrorum quoque comprome  
missariorum imparem numerum esse debe  
re determinarunt.

(*a*) L. 17. §. 6. in fin. h. t.

(*b*) Si furgant adfines finibus regundis Prætor arbitri  
tres adjicit. tabula 8. iuxta editionem illustris  
de MARTINI in histor. jur. civil.

(*c*) Si



(c) Si aqua pluvia manu nocet: Praetor arcenda aquae arbitros tres adjicito. eodem.

(d) V. g. in judicio familiæ erescundæ ad aestimationem fructuum in rei vendicatione.

### §. XVII.

Infirmo etiam stat tali SAMUELIS de COCCESIS opinio, qui nixus auctoritate cap. I. X. de arbit. imparem arbitrorum compromissariorum numerum de jure canonico requiri, adserere non est veritus (a). Præterquam enim, quod Patres Concilii Africani, ex quo laudatum Capitulum delumptum est, de arbitris juris potius, quam compromissarii loqui nonnulli velint, id a vero alienum est minime, textum hunc consilii, non præcepti vim habere (b). Etsi ergo in pluribus arbitris constitwendis nil magis expediat, quam eum servare modum, quo res litigiosa omnium facillime ad exitum perducantur, in numero autem impari, dissensu existente, majori parti standum esse ipsa ratione suadente leges constituant (c). attamen si partes duos tantum eligant arbitros, valet compromissum, hisque in arbitrio consentientibus partes morem gerere obstringuntur (d).

(a) Jur. civil. controvers. L. 4. tit. 8. Quæst. 3.

(b) Conf. GONZALEZ. in comment. perpet. ad dictum cap. n. 18.

(c) L.

B 2



(c) L. 18. ff. h. t. cap. 1. X. de arbit. cap. 1.  
eodem in 6.

(d) Conf. infra §. 21. 22. 28.

### §. XVIII.

Quoniam ergo finis arbitrii in eo consistit, ut res controversæ dirimantur, pari autem numero propter hominum sentiendi facilitatem finis hujus obtinet spes levis relinquitur, vix alia suppedi per hanc difficultatem eluctandi promptior ratio, quam constituere tertium orta dispensione arbitrorum, sua sententia litem terminaturum. Vocatur is superarbiter (a) qui est arbiter in eventum si arbitrii differerint, adsumptus.

(a) Hoc vocabulum neque in legibus, neque probatae latinitatis auctoribus occurrit. Condiles ejusdem non absque ratione glossatores ad de arbitris dixeris, qui superarbitrum compofitum vocabulo eum dixisse videntur, qui litis eventus terminande causa super arbitres erat constitutus. In legibus & canonibus sub nomine tertii, persona tercia venire solet L. 17. §. 5. 6. cap. 12. X. de arbitr. retinendam tamen haec vocem exquisito, quod ex glossæ auctoritate foreni recepta, probataque in terminum abaverit, nec non rei indolem exprimat, in retque cum voce Germanica eius Dictrinam.

*Et nova fictaque nuper  
Habebant verba fidem.*

HORAT. de art. Poet.

### §. XIX.



## §. XIX.

Quemadmodum autem sine partium conventione arbitri constitutio non intelligitur §. 6. ita etiam ad superarbitri electionem necessaria est conventio, qua partes in eventum dissentientium arbitrorum sententia superarbitri se statuturos esse polliceantur: Hanc compromissi speciem esse nemo non perspicit. Neque minus inter partes & superarbitrum conventio intercedat, necesse est, qua iste dissensus arbitrorum tollendi negotium suscipiat, atque ita ipsis litis decisionem se facturum promittat: sicut enim integrum est arbitro, velitne suscipere arbitrium, vel, non ita etiam superarbiter, quo cumque demum modo constitutus partibus non obligatur, nisi & his superarbitrium, si ita loqui fas est, receperit.

## §. XX.

Omnis vera conventio, vel expressa est, vel tacita. Utraque vim æqualem potestatemque obtinet. Perinde itaque est, utrum partes diserte, an tacite superarbitrum constituant, & quoniam nil repugnat, ut ejusdem electio in alterius voluntatem deferatur, planum est, superarbitrum vel ab ipsis partibus, vel eorum nomine ab electis jam arbitraris constitui



posse: dum enim partes ejus adsumendi locum arbitris faciunt, suo non minus consensu superarbitrum comprobant.

### §. XXI.

Atque haec quidem potestas sicut arbitris *expresse* concedi potest, ita illis *recepti tacite* indulta censetur. Si enim aequali numero arbitros compromissum si his dissentientibus, id, sine quo fere sine exitu res futura est, hoc est, superarbitri constitutio concessa videtur, idque eodem jure, quo ei, cui jus ad finem, jus a media quoque datum esse intelligitur. Hanc aequitatem naturalem agnovit Praetor romanus, aequitatis studiosissimus arbitros numero pares, in ferenda sententia dissentientes, ad assumendum superarbitrum cogens: *Ustatum est*, ait VLPIANUS l. 17. §. 6. in fine de recept. qu. arbitr. recep etiam in duos compromitti, & debet Praetor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam certam eligere personam, cuius auctoritati pareatur. Quomodo autem Praetor arbitros cogere posset, nisi tertii electio ad eorum officium spectaret.

### §. XXII.

Hactenus juri civili consentit canoniceum: etenim, & hoc, si in pari numero arbitri-

arbitros compromissum est, electionem tertii, cuius auctoritati inter dissentientes arbitros pareatur, adeo probat, commendatque, ut & arbitros ad tertium eligendum cogendos esse existimet. Solemne erat in causa suspicionis, judici præser-tim delegato mota ad arbitros ire, ab iisque decisionem de justitia recusationis ex-petere. Arbitri hoc nomine a litigantibus selecti, si nequierant in unam concor-dare sententiam, ut advocent tertium, præcepit INNOCENTIUS III. P. (a) ut quod duo ex his decreverint, robur obtineat firmatis. Imo Praetoris jura fecutus GREGORIUS IX. P. arbitros, si discordes sint, ut in unam convenienter personam, vel ter-tium concorditer advocent, cum quo duo, aut alter eorum id faciat a judice cogendos esse decernit. (b)

(a) Cap. 61. X. de adpell.

(b) Cap. 39. de off. & potest. jud. deleg.

### §. XXIII.

Utroque igitur Jure tacitam recepto in-esse potestatem, obligationemque in even-tum diffensus superarbitrum eligendi, man-ifestum est. Expressam superarbitri ad-sumendi facultatem arbitri electi a litigan-tibus dupli ratione consequi possunt: vel dum speciatim persona v. g. Sempro-

B 4

nius



nius determinatur, quam in casu diffen-  
sus adhibeant, vel dum nulla nominata  
persona ejus eligendi facultas eis genera-  
tim relinquitur. Prioris compromissi-  
um, atque potestatem extra controve-  
siam collocant, tum sana ratio, tum le-  
ges atque etiam canones. Ad posterioris  
compromissi formam quod attinet, mirum  
profecto est, in quam diversas partes legum,  
canonumque interpres abeant,  
dignaque tamen quæstio, quæ suis ex for-  
tibus eruatur. A jure Canonico ordior.

#### §. XXIV.

**GREGORIUS IX. P.** hac super re con-  
sultus Decano, & Magistro P. Canonico  
S. Petri Atrebatenſis dicēcēsis in hæc ver-  
ba rescripsit (a). *Innotuit nobis Guilielmo*  
*laico conquerente, quod cum O. laicus ipsum*  
*super quadam summa pecuniae coram judicibus*  
*auctoritate Apostolica convenisset, tandem ful-*  
*a partibus in duos arbitros compromissum: si*  
*tamen, quod si illi duo ad invicem discordarent,*  
*tertium adderent judges nominati, re-*  
*tenta penes se compellendi partes ad observan-*  
*dum arbitrium per dictos arbitros promul-*  
*gandum nibilominus potestate. Cumque ter-*  
*tius arbiter a judicibus prædictis electus cum*  
*altero duorum ipsum parti alteri condemnasset:*  
*id m ex eo sentiens a sepe dictis judicibus* *gravari,*



gravari, quod ipsum ad observantiam hujusmodi arbitrii compellebant, nostram adpellavit audientiam; sed ipsi adpellatione contemta excommunicationis tulere sententiam in eundem. Ideoque mandamus, quatenus, si est ita, cum legali sit provisione statutum, ut compromissum de incerta persona in arbitrum adsumenda non teneat, dictam excommunicationis sententiam denuntietis penitus nullam esse.

(a) Cap. 12. X. de arbitr.

### §. XXV.

Perpendentibus maturiori animo hujus rescripti verba, ejusdem sensus, & Papæ mens latere non potest. Partes in duos arbitros ita compromisserant, ut in casu dissensus tertium eligerent judices auctoritate pontificia ad causam cognoscendam antea delegati: ab his mutuo consensu electus superarbiter reum causa cognita condemnavit, in eumque contumacem judices delegati, non obstante adpellatione apud Pontificem interposita, excommunicationis sententiam pronunciarunt. Pontifex autem re cognita, sententiam nullam, & irritam, ipsumque compromissum invalidum esse judicavit, addita hac ratione: quod legali sit provisione statutum, ut compromissum de incerta persona in arbitrum adsumenda non teneat. Quapropter etiam unanimis est Canonistarum tam



veterum, quam recentiorum doctrina, nullum robur obtinere compromissum, tertius nominatus haud sit, eti vel maxime arbitri in tertium aliquem consenserint. Videatur loco omnium Gonzalezius ad cap. I. de arbitris.

### §. XXVI.

Et profecto si Pontificis auctoritatē, si interpetrum expositiones ad l. 17. ff. de receptis sequi oporteat, vix, aut nec vix quidem dubites, jure quoque civili in duos ita compromitti non posse, ut, si dissentirent, tertium adsumerent, qui tunc ipsis placeret. Sane Pontifex suo rescripto robur additurus, id ipsum legali provisione statutum esse adfirmat; quam vero aliam legis provisionem præter eam l. 17. §. 6. ff. h. t. laudare potuerit, ego non dispicio. Qua de re etiam non dubitavit ZOESIUS ad sæpe laudatum titulum (a) LAUTERBACH (b) COCCEJUS (c) STRUCKIUS (d) Vlpianum ad Pontificis mentem interpretari, quos integro agmine sequuntur canonistæ. Placidius Böckn, (e) Andreas Vallensis (f) aliquie fere omnes, quibus accinit quoque perspicacissimi ingenii alias vir ZEGERUS BERNARDUS VAN ESPEN (g).

(a) n.



- (a) n. 18.
- (b) In dissertat. de arbitr. compromis. §. 24.
- (c) Jur. civil. controv. h. t. q. 3.
- (d) v. m. pandect. tom. 1. pag. 436.
- (e) In Paratitle decret. h. t. §. 4.
- (f) Ad eundem tit. n. 9.
- (g) Juris eccles. univer. par. 3. tit. 5. cap. 4. §.  
14. 15.

### §. XXVII.

Verum enimvero pace tantorum Vi-  
torum in mentem VLPANI inquirere cu-  
ratus liceat? Haud ego illam, quam  
huic juris civilis columnæ adsingunt in-  
constantiam reprehendere potis sum. Ju-  
vat integrum tenorem §. 5ti & 6ti tan-  
quam sedem controversiae adscribere. Si  
in duos fuerit sic compromissum, inquit Vl-  
pianus, ut si dissident, tertium adsumant,  
puto tale compromissum non valere, nam in  
adsumendo tertio possunt dissentire, sed si ita  
sit, ut eis tertius adsumeretur Sempronius,  
valet compromissum, quoniam in adsumendo  
dissentire non possunt. Principaliter tamen  
quæramus, si in duos arbitros sit compro-  
missum, an cogere eos Prætor debeat senten-  
tiam dicere, quia res fere sine exitu futura  
est propter naturalem hominum ad dissentiendū  
facilitatem. In impari enim numero id-  
circo compromissum admittitur, non quia con-  
sentire omnes facile est, sed quia et si dissen-  
tiant, invenitur pars major, cuius arbitrio  
stabi-



*stabitur. Sed usitatum est etiam in duos compromitti, & debet Prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam certam eligere personam, cuius auctoritati pareatur.*

### §. XXVIII.

Ex memoratis VLPIANI verbis posterioribus duo manifeste se produnt I. valere compromissum in duos factum, illudque effectum sortiri, si arbitri electi in se renda sententia consentiant II. duos arbitros simpliciter electos, si in arbitrio dissentiant, cogi omnino posse a Prætore, ut tertiam personam certam elegant, cuius auctoritati pareatur. Jam quæ, amabo! ratio tam potens effungi poterit, quæ Viris doctis persuadeat, VLPIANUM tanti nominis jurisconsultum validum pronunciasse compromissum in duos factum, et si valeant dissentire; & nullum prorsus declarasse compromissum, quo arbitris duabus tertii electio generatim committitur, quantumvis in eligendo tertio convenient ex sola ratione, quod in adsumptione tertii dissensus oriri valeat? si naturalis hominum ad dissentendum facilitas VLPIANO haud sufficiens visa fuit, ut valorem compromisso, in pari numero arbitros facto, denegaret, qui fieri potuit, ut hæc ipsa ratio ipsum induxit;

ut



ut valorem compromisso, quo adsumtio  
tertii in arbitrorum electorum voluntatem  
conjicitur, abjudicaret, etiam si hoc æque  
ac illud, imo longe facilius effectum for-  
tiri valeat?

### §. XXIX.

Sed et illud consideratione dignum  
esse existimo, ab VLPIANO scriptum  
esse, ad officium Prætoris pertinere,  
arbitros pari numero electos in eventum  
dissensus ad tertiam certam personam eli-  
gendarum cogere. Nisi igitur virum hunc  
dictorum suorum oblitum, sibiique ipsi  
repugnantem statuas, sententiam ei, quam  
communiter tenent interpres, adsingere  
non licet. Quid est, quæso, abs non magis,  
quam valere compromissum, quando  
arbitri officio Prætoris coacti tertium eli-  
gunt, nullum vero, & irritum esse, dum  
sponte id faciunt? ergone coactio præ-  
atoria superarbitrum magis determinat,  
quam spontanea, & consentiens electio?  
Etsi arbitrorum pari numero constituto-  
rum officio facultas adsumendi tertium  
non contineatur, quomodo coactioni lo-  
cus esse potest? Idem jurisconsultus (a).  
neminem a Prætore ad recipiendum ar-  
bitrum cogendum esse decernit, probe

gna-



gnarus, coactionem exulare, dum officii  
explendi ratio nulla subest. Quando igitur arbitros pari numero electos ad adsumendum superarbitrum cogendos esse statuit jus ipsis competere agnoscit, tertium communi consensu ipsam coactio-  
nem praecedente, eligendi.

(a) Leg. 3. §. 1. ff. de recept.

### §. XXX.

Falluntur igitur, quotquot Vlpiani sententiam esse existimant, nulliter ita in duos compromitti ut, si dissentirent, tertium adsumerent. Sed verba §. 5to. quibus Vlpianus compromissum sub tali forma initum *non valere* dicit, manifesta esse clamitant? audio, sed hæc verba captari, minusque recte ad mentem jurisconsulti intelligi fideliter adsero. Verba ista *non valere* hic idem sunt atque tale compromissum in eventum dissensus effec-  
*tu defitui*, minime vero ex tali compro-  
missio, consensu arbitrorum in electionem  
tertii interveniente *obligationem non pro-  
duci*, neque cerebrinam hanc interpreta-  
tionem existimes. Suadent eam natura-  
lis ratio, adducta §§. praecedentibus ar-  
gumenta, atque ipsis Vlpiani auctori-  
tas. In eundem modum jurisconsultus  
rationes init §. 5to, ac eas postea §. 6to.  
evol-



evolvit. In priori non valere hoc est effectu destitui putat compromissum in duos ita factum, ut, si dissentirent, tertium adsumerent: statim vero §. subsequenti querit, si in duos arbitros sit compromissum, an cogere eos debeat Praetor sententiam dicere, quia res jure sine exitu futura est, propter naturalem hominum ad dissentendum facilitatem. Quod igitur antea non valere dixerat, idem nunc sine exitu futurum esse adferit jurisconsultus optimus ipse verborum suorum Interpres. Laudati igitur §phi ratio difficilem exitum paci, non defectum obligationis concernit.

### §. XXXI.

Ast nondum rem omnem confectam esse objiciunt. Si VLPANI mens, inquiunt, eo redit, ut generale illud compromissum, ubi arbitrii in assumendo superarbitro dissentient, exitu careat, qui fieri potest, ut Praetor eos nihilominus cogat ad superarbitrum eligendum? Verum enimvero haec optime ita consistunt, ut quidem eveniente dissensu arbitrium exitu destituatur, si litigantes rem non urgeant, in eo adquiescant, nec ad Praetorem causam deferant, ejusque auxilium implorent: Contra vero Praetor a litigibus aditus, & imploratus cogat, ut tertium



tium eligant. Si enim coactio Prætori locum habet in casu *pacti deficientis* juxta §. 6ti s̄æpe citatæ legis, obtainere quoquæ debet in casu *initi pacti de tertio eligendo*. Manifesta alias contradic̄tio foret, arbitros, si nihil tale pacti sunt, cogi ad electionem superarbitri posse, fin pacti sint cogi non posse, pactionemque invalidam esse.

### S. XXXII.

Neque obmoveant cum ANTONIO FABRO (a) ea de cauſſa tale compromiſum non valere, quod secundum notationem regulam (b) expressa noceant, non expressa non noceant, atque ita valeat compromiſum, si de tertio actum sit nihil, nullum vero sit, si generatim de illo sermo initiatur. Enim vero actibus legitimis accommodata hac regula nec generatim, & universim vera est, nec commode ad hanc legem applicatur. Cum enim arbitris tacite concessa censeatur facultas eligendi superarbitrum in eventum dissensus, si nihil pacti sint eo ipso, quod ad electionem superarbitri cogi valeant, fane hæc ipsis potestas negari non potest, si id pacti sint, quum & hoc casu coactio præatoria ad partium instantiam locum obtineat §. præcedente.

(a)

(a) In Comment. ad Prin. Pandect. pag. 124.  
(b) L. 195. de R. P.

§. XXXIII.

Ferendi quoque non sunt, qui cum  
P. PLACIDO BÖCKN (a) compromissum  
sub hacque forma initum nullum esse pro-  
nunciant, argumento L. 25. ff. locati, quo  
in contractibus conditio in tertii incerti  
arbitrium conferri nequit: si quid enim  
video, salva res est. Ponas, in deter-  
minando tertio contrahentes convenire,  
nunc dubitabis adhuc, ab electo pretium  
statui posse? Ego plane non hæsito. Nun-  
quid ergo subsister compromissum, si ar-  
bitri in nominando superarbitro consen-  
tiant? Quod locatio, conductio contrahi  
Cajo in dicta lege non videatur, si mer-  
ces promissa sit generaliter alieno arbitrio,  
id hunc sensum habet, pretii determina-  
tionem dissensu contrahentium eveniente  
nunquam fieri posse, deficiente medio,  
quo partes ad consentiendum compelli  
valeant. At enim, dum arbitros, qui  
adsumendi tertii negotium generatim sus-  
ceperunt, sua dividit opinio, Prætoris a  
partibus implorati auctoritate effici po-  
test, ut dissensus tollatur.

(a) Ad Lib. I. X. tit. 43. N. 9.

C §. XXXIX.



## §. XXXIV.

Quæ cum ita sint, ut sunt sane verisimia, non est, opinor difficile judicari quid sentiendum sit de doctrina LEYSER<sup>(a)</sup>, ULPIANUM sententiam suam in V. loco citato propositam statim §. VI subsequenti emendasse, & quod mox non valere pronunciaverat, mox probasse copromisum adstruentis, Concidit quoque BACHOVII opinio (b) hanc legem forte TRIBONIANO turbatam statucentis. Singularis quoque minusve cohærens est interpretatio HENRICI LINCKI<sup>(c)</sup> qui utrumque §§. in concordiam revocare primis §. VI. verbis jam certam personam tertiam ab arbitris adsumendam falso supponit nominatam. Quæ enim, quæ superarbitri electio arbitrari imperari potest, si is jam ex compromittentium consensu certus & determinatus est? Quæ non amplius eligere, sed ex recepto adsumere, arbitrorum est. Eo ipso autem quod arbitros in ferenda sententia differentes ad tertium eligendum cogendos esse statuat, officium eorum esse agnoscit ut tertium adsumant, quo ad firmandam meam sententiam nihil efficacius excotari potest.

(a) In Medit. ad Pandect. spec. 65. med. 8. 10.  
i. pag. 708.

(b)



(b) In Comment. ad prin. Pandect. P. I. p. 1242.

(c) In Comment. ad X. p. 238.

### §. XXXV.

Ita igitur concludo, validum esse, suisque viribus subsistit compromisum in duos ita conceptum, ut si in ferenda sententia dissidentire, tertium eligerent, dummodo ipsi in tertii non suspecti nominatione consentiant. Est vero invalidum, id est effectu destituitur, si post dissensum arbitrorum in ferenda sententia, atque eligendo tertio rem partes non urgant, dissensumque auctoritate Prætoris tolli non postulent. *Valet*, inquit Decianus (a) compromissum, ut a duobus tertius eligatur, dummodo in eo eligendo consentiant, & sine dubio arbitris ea facultas concedi potest; quod si ipsi arbitrii dissidentiam, judex eos ad consentiendum cogere, vel ipse tertium eligere potest. Quod ipsum agnovit justus HENNINGIUS BOEHMERUS in notis ad ARNOLDI CORVINI aphorismos Juris canonici Lib. 3. tit. 8. N. 9. & Clariss. SCHRODT in instit. Jur. Canon. ad tit. de arbitris §. 135.

(e) In consil. 212. Volum. 3.

### C 2    §. XXXVI.



### §. XXXVI.

Ex dictis vero jam non difficult colligitur, non tantum valere sententiam quam numero pares arbitri, quibus superarbitri eligendi facultas in eventu diffensus ex compromisso data est, concordi confilio pronunciarunt, sed validam a superarbitro ferri sententiam quem arbitri ex indeterminata superarbitri eligendi potestate concordibus fragiis adsumperunt: Cessat enim diffensus, ob quem exitu carere dicimus romissum. Id quod ipsum tam negat Pontifex in Cap. 12. X. de arbitri confer. §. 24. 25. Admittamus itaque jus canonicum inter & civile in electione tertii arbitri insignem intercedere differentiam, quam tamen paucim interpretes alii silentio involvunt.

### §. XXXVII.

Quo autem ex fonte haec juris canonici a civili discrepantia profluxerit, dubio non admodum est difficile. caret, Pontificem in animum suum non induxisse legis civilis correctionem facere, aut obscuritatem tollere, cum ipotius decisionis sue robur ex legali provisione depromat, legique civili convniens



niens rescriptum edere intendat. Superest  
igitur ut veritatis amore, dicendi liber-  
tatem paululum laxemus, eumque Ulpiani  
mentem non satis intellexisse dicamus: id quod viro cœterum docto acci-  
disse mirum non est. Constat illa aetate  
omnem juris civilis doctrinam ex Glossa-  
torum placitis desumtam esse; At enim,  
qui horum errores in numerum redigere  
voluerit, is herculeos labores superet  
neceſſe est. Ipsos vero Pontifices ex  
turbidis his aquis non raro hauiſſe, quis  
negare ausit? (a) Quidni itaque & Gre-  
gorium IX. P. consulendo hac in re Glos-  
ſatores, quos neglecta legum ratione ver-  
borum cortici coece iſſistentes hanc ei-  
tententiam præciuiſſe non dubium est,  
a vero legis ſenu defeciſſe adſirmemus?  
quum præterea inter doctos conveniat,  
proceſſum juris canonici communem ex  
legibus civilibus, & placitis Glosſatorum  
invectum eſſe b).

(a) Exemplio eſſe potest INNOCENTIUS III. P.  
in Cap. 5. X. de cauſ. poſſeſſ., & propriet.  
ubi cumulationem poſſeſſorii cum petitorio sta-  
biliturus, mentem MARTINI antiqui Glosſa-  
toris fecutus erronee ad L. 18. ff. de vi, &  
armat. man. provocavit, quum in hac nil fla-  
tuuit, quam quod deſerta, & ſuſpenſa inte-  
rim cauſa petitorii, feorſim intentari poſſit  
poſſeſſorium, deque hoc judicari debeat, id  
quod tamen juxta Pontificis mentem cumulari  
haud dicitur.

C 3

(b) Vid.



(b) Vid. Celeberr. de Riegger par. 2. §. 75<sup>o</sup>  
763.

### §. XXXVIII.

Id mirum magis est Pontificem hunc  
nec sibi ipse, nec suis prædecessoribus  
satis cohærere. Ita ipse in Cap. 39.<sup>o</sup>  
de off. & potest: & arbitros, si discon-  
des sint, ut in unam convenienter senten-  
tiam, vel tertium concorditer advocent,  
judice cogendos esse decrevit, persua-  
sum sibi habens, naturalem illam homi-  
num ad dissentendum facilitatem con-  
promissi pari numero arbitrorum in-  
nullitatem non involvere. Cur ergo,  
ipsis facultas eligendi tertii concessa est  
quum utique concordes esse possint.  
arbitros dissentientes ad tertium addi-  
mendum cogendos esse censuit, qui si  
validum decernere potuit compromissum  
quo de eligendo tertio convenerant, Ju-  
dicis coactionem antevertere cupiente  
conf. §. 29. Quapropter recte mons.  
ZYPEJUS (a) vi cap. 61. X. de adpe-  
duos eligi arbitros, iisque auctoritate  
dari posse tertium non suscepturn in cal-  
dilensus adsumendi, ut verba legenti  
sensem ponderanti manifeste patebit.

(a) In notit. Jur. Belg. tit. de Arbitris.

### §. XXXIX.



## §. XXXIX.

Atque nunc liquere existimo rationem, quare Germanicæ originis populi hujusmodi compromissi vim, potestatemque inesse semper judicaverint, neque juri canonico, quod Cleri conatibus in materiis etiam profanis, illis præcipue, quæ in jure Romano obscuritate laborare videntur, summam alioquin auctoritatem sibi vindicavit, hac in re locum fecerint. Præterquam enim, quod Germanis quælibet conventio, bona fide, & animo ferio facta, sibique non repugnans sanctissima fuerit, ii exorbitante prorsus subtilitate, qua circumventus Papa memoratam supra decisionem fecit a germana sua simplicitate dimoveri se haud sunt passi, vigentque hodieum frequentissima hujusmodi compromissa testibus MARNACIO (a) ESPENIO (b) VOETIO (c) STRYCKIO (d) SCHRODTIO (e) quibus adde Gregorium LUDOVICUM BOEHMERUM (f) quem te minime poenitebit confuluisse.

(a) Ad L. 17. ff. de recept. &c.

(b) Loco supra citato.

(c) Ad tit. ff. de Arbitris, n. 13.

(d) V. M. Pandect. h. t. n. 9.



(e) Loc. sup. cit. §. 135.

(f) In elect. Jur. civil. exercitat. 14. cap. 3.

### §. XL.

Supereft, ut aliam quandam juris canonici a civili discrepantiam paucis sub examine revocemus. A sententia arbitri ex compromisso aditi (a) adpellari non posse fæpe rescriptum est, ait L. 1. cod. de recept. quod scopo introductorum arbitrorum omnino consonum et nimirum ut ope arbitrorum lites citius, a minoribus expensis terminentur, & a forensi strepitu tandem ipsi litigantes existentur, omnibusque jurgiis finis impognatur (b), quare partes arbitri sententia stare debent, sive æqua, sive iniqua sit (c), nisi sit prolata per fordes, dolum & fraudes (d), vel contra formam compromissi (e), vel peccatum contineat (f).

(a) Ab arbitro juris adpellationem interponi posse dubio caret.

(b) Imo ipsa natura laudi adpellationem respuit, quæ facienda est a judice inferiori ad superiorem, arbitrus vero judex non est.

(c) L. 27, §. 2, ff. de Recept. &c.

(d) Leg. 32, §. 14, ff. eodem L. 3, cod. eodem.

(e) Arg. L. 1, cod. eodem.

(f) Leg. 21, §. 7, ff. eodem.

### §. XLII.



## §. XLI.

Neque hic dispare canonés existimo. Id quod aperte ex can. 33. caus. 2. q. 6. ubi GRATIANUS de arbitris tractans adlegat canonem 24. ex Concilio Milevitano, cuius verba refert, *a judicibus, quos communis consensus elegerit, non licet provocare*, neque negotium ullum facit, qui statim apud eundem sequitur canon. 34. ubi sub nomine Concilii Carthaginensis III. can. 10. haec verba adsuit: *si ex consensu partium judices electi fuerint, etiam a pauciore numero, quam constitutum est, licet provocari.* Etenim invertit plane sensum canonis hujus GRATIANUS, dum omessa negatione legit affirmative, quasi ex sententia Africanorum liceret a judicibus partium consensu electis provocare, quum manifestum sit, uti & monent correctores Romani, per hunc canonem expressis verbis statui a judicibus consensu partium electis non posse provocari.

Vid. ESPENIUS in comment. eruditif. ad decre-  
tum Gratiani ad cit. caus. & in schol. ad can.  
African. can. 122.

## §. XLII.

Decretalium libros dum consulo, nul-  
libi quidem disertis verbis adpellationem  
ab arbitri sententia prohiberi deprehendo.

C 5

Ne-



Neque enim ALEXANDER III. P. (a), neque INNOCENTIUS III. P. (b) caußam ab arbitri sententia interponi vetant, sed judicibus delegatis occasione querelæ aduersus arbitri sententiam apud fidem Apostolicam interpositæ constitutis, causa cognitionem tantum sub solemnî forma remota adpellatione demandant. Quoniam tamen & ipsi Pontifices receptis arbitriis simpliciter standum esse rescriperunt (c), atque nullibi ab iniqua arbitrorum sententia adpellationem diserte indulserunt, recte mihi concludere video, si juris clari, in decreto Gratiani, legibusque ci vilibus contenti auctoritatem subsisteret affirmem, quum alias querelæ, quas de compromissô (d) dolo & fraude facto, & de sententia ex favore alterius pronuncia ta, nec non de sententia superarbitri, ex generali conventione de tertio eligendo (e) nominati apud Pontificem interpos tas, ab eoque receptas legimus, separata habuere rationes.

(a) Cap. 2. X. de arbitr.

(b) Cap. 4. X. eodem.

(c) Cap. 9. & 13. X. eodem.

(d) Cap. 2. X. eodem.

(e) Cap. 12. X. eodem.

§. XLIII.



## §. XLIII.

Alia quæstio est, an laudum arbitri subjectum sit reductioni ad arbitrium boni viri: hoc est, recursui ad judicem ordinarium, ut ille cognoscat, an arbiter bene vel male pronunciaverit? Atque in hac quæstione, nisi omnia me fallant, discessum juris canonici a civili deprehendo: Sentio enim cum claris. SCHRODTIO (a) qui sententiam negantium de jure civili fortioribus suffultam esse momentis recte adstruit: id, quod ipsa negotii huius natura depositit. Vel enim compromissum initum fuit interposita stipulatione, & strictissima, ipsorumque verborum sano circumscripta in stipulationibus interpretatio reductionem non admisit, sibi imputet datum, qui compromisit, nam & DIVI PII rescripto adjicitur, *vel minus probabilem* sententiam *aquo animo ferre debet*, (b) vel compromissum est nudo pacto, & tunc nullam producebat actionem, imo nec exceptionem, nisi laudum fuerit homologatum, (c) atque adeo licuit iniquam sententiam ex compromisso pactitio latam libere inter decem dies repudiare; inde facile patet, cur ab arbitri sententia reductio ad arbitrium boni viri locum non obtinuerit (d).

(a)



(a) Loc. sup. cit. par. 142.

(b) L. 27. §. 2. ff. de recept.

(c) L. 5. cod. eodem.

(d) Quod ex lege 76. ff. pro soc. adducunt argumentum tantum abest, ut meæ sententia noceat, ut profit magis, quam lex hæc aperte separat, quoad remedium reductionis arbitria ab arbitrationibus, & quis credat, Romanos alia via (reductionis) quærendum permisisse, quod una via (adpellationis) negarunt. Quum tamen compromissum voluerint esse remedium non diffundendarum, sed tollendarum litium L. 37. ff. de recept. &c. Quæque ob fordes, dolum, & fraudes conceditur exceptio, aut replicatio doli, & nullitatis in leg. 32. §. 14. ff. eodem abusive adpellatio nominatur.

#### §. XLIV.

Verum enim vero posteaquam illud remedium *extrajudicialis*, ut vocant *adpellacionis* ex canonum dispositione (a) invaluit, atque adeo late protensum est, ut extra judicium a quolibet gravamine interponi potuerit, cui mirum videatur, si ALEXANDRUM III. P. in cap. 2. de arbitr. in fin. decrevisse legatur arbitrum demum servandum esse, si æquitate subnixum fuerit. Jam vero in reductione ad arbitrium boni viri, hoc est, judicis ordinarii id unice agitur, ut ostendatur, sententiam arbitri nulla æquitate subnixam esse; cuius cognitio judici ordinario adhuc reservata, cum nihil aliud sit, quam provocatio ad caus-



cauffam, hinc in effectu nihil differt ab ea, quam doctores usu forensi receptam esse tuentur ad arbitrium boni viri reductione (b). Atque haec sunt, quæ de differentiis inter jus canonicum & civile circa arbitros intercedentibus minus quidem pro dignitate differere placuit. Tu lector benevole! primitias laborum meorum boni consule, tuisque me frui patere favibus.

(a) Cap. 5. X. de adpel.

(b) Confer. Andreas GAILLUS I. observ. 149. ubi cum de reductionis hujus usu, conditionibus, & effectu, pluribus exponentem deprehendes, sed confulas velim etiam ESPENIUM, qui loco sup. citat. §. 36. non immerit conqueritur hoc reductionis remedio, cui omnes fere adpellationis effectus attribuunt, vim arbitrorum pene omnem enervatam esse, ipsaque compromissa, magis ad augendas, quam extingendas lites jam comparata videri.



POSI-







(X2281931)

TA - 701

ULB Halle  
006 355 056

3



VDA 78



B.I.G.

Black  
3/Color



DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup>

INAUGURALIS JURIDICA,

D E

DI F F E R E N T I S  
INTER

JUS CANONICUM, ET CIVILE  
ROMANUM CIRCA ARBITROS

FRÆCIPUE

TERTII ELECTIONEM OBTINENTIBUS,



LABORE ET FAVORE.

VIE NNAE,

TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,  
SAC. CAES. REG. AUL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1774.